2

Nobilissimo doctissimoque Viro
D. Constantino Hugenio, Dno de Zulichem,
Caspar Barlaeus Utrumque precatur,
εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν.

Non credes, clarissime Hugeni, sacro isto, ut vocas, Neutro.
Cum enim silendi ac loquendi ambiguus neutrum te facturum
scribis, ego Utrumque exigo. nempe, ut nec sileas semper,
nec rescribas semper. Pertinax tanti amici silentium aegerrime
ferrem, et tabescerem desiderio, tanquam rore aestivo
destituta cicada. Si, ut semper rescribas, exigerem, valde
me rerum tuarum ignarum ~~[illegible]~~ profiterer. Scio, nec te
semper scribere posse, cum vel maxime vis; nec velle, cum potes.
Non posse: quoties Jupiter Hagiensis per Mercurios suos
te accersit, ut militem hybernis eruas, aut alias stationes
praesidiaque adsignes. Non velle: quia interdum apud te
audes φλυαρεῖν, et ea loqui, quae vix siliquam aut
granum medicum pendent. Sed quia Utriusque feci mentionem,
experiar, an de Utroque utrumque possim: et serium aliquid
in medium proferre et joculare. Etenim ita accepi, Utrumque
in multis laudabile esse, in multis vituperabile. Quoties
officia nostra exigunt Domini duo, utrique ex aequo obedien=
tiam probare velle, non est Evangelicum. Cum Virgines
duae procantibus oculis juvenem adblandiuntur, utramque
amare, utramque est contemnere. Cum venator duos
sectatur lepores, ut utrumque capiat, capit neutrum.
Cum uterque vitula dignus est, Damoetas et Menalcas,
facile est Palaemoni arbitri partibus fungi. Cum
quaeritur, an eloquentiae laudibus excellat Cicero,
an prudentiae, respondere soleo, utriusque, licet imprudentius
invectus fuerit in Antonium, et pulsum urbe Catilinam
fastidiose ~~[illegible]~~ receperit. Cum quaeritur, an in poetarum
ordine primas mereantur Homerus, an Virgilius,
dico, utrumque in primis stare. nec moror, dissentientem Scaligerum.

© Staatsbibliothek zu Berlin
Slg. Darmstaedter 2f 1620
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0323

Cum religionis Christianae res agitur apud gentes, peccant, qui
utrumq. ritum coniungunt, circumcisionis et baptismi. At
miserrima est Reip. ac Ecclesiae facies, cum utriusq. rectores
utraq. peste afflat, Ambitio & Avaritia. In Scholis malè
de adolescentibus merentur, qui utrumq. legi suadent, Ramum
et Aristotelem. Quid enim opus limum bibere et nauteam,
quibus limpidissimi fontes suppetunt? Vbi partes sunt, cum
utraq. parte colludere turpissimum est. Inter mercatores quidam
utrumq. faciunt, pecunias locant, et aliunde accipiunt. illud,
ut divites videantur. hoc, ut credas divites non esse. Inter
poëtas quidam nec Latinum nec Belgicum carmen scribere docti,
molesti alijs sunt utroq. strepitu, et veluti bisulcae hirudines,
utraq. lingua offendunt. Illud verè eximium & excellens, cum
Princeps est, ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθός, κρατερός τ' αἰχμητής.
Inter aulicos cum laude dignum sit, pietatem iunxisse mundano
splendori, gratulor reperiri utroq. insignes. cumq. indignissimum
sit, optimarum artium ignorantiae iunxisse inanem fastum
& tumorem, doleo inter illos plures esse huius generis. Inter
scelestos cum uterq. alteri crimen imputat, palam est, utrumq.
fecisse, inquit Quintilianus. Inter amicos benè se res
habet, cum uterq. utriq. cordi est, ait Terentius. At
pessimè se res habet in certamine, quoties, ut est apud
Maronem, Entellus, Daretem super utraq. quassat tempora.
Cum distincta ante fuissent Principatus et Pontificatus
munia, primus Augustus utrumq. sibi vendicavit, ne
à Curia dissentiret Ecclesia. Vtriusq. sexus hominem
eleganter describit in Metamorphosi Ovidius:

Nec duo sunt, sed forma duplex; nec femina dici,
Nec puer ut possit; neutrumq. & utrumq. videtur.

Sed, ut Socraticum philosophandi morem repetam, mi Hugeni,

quadam, An dubites in Homero Achillem & Vlyssem utramq. paginam
facere: An non apud eundem Vulcanus utrinq. claudicat, ob
hoc illi ἀμφιγυήεις dictus: Annon boni militis sit, gladium
utraq. manu regere posse; aut, ut est apud Homerum, clypeum
dextra laevaq. movere. Certe utraq. manu haurire, ἀρύτειν
ἀμφοτέραις, proverbio celebratur. Illud in milite ignominiosum,
utroq. pede fugere; in viro bono, utrisq. pedibus vacillare
ac lubricae esse fidei. Et ut de nostratium rebus aliquid
dicam, in magno Oceano eiusq. diverticulo, quod mare mediterra-
neum vocamus, utrinq. piraticam exercent, Afri & Flandri.
In Hispania captus Arschotanus, in Brabantia Barbansonius,
credunt uterq. suo damno, Isabellam non vivere. Sed quam
utile est utrinq. in culina versantibus, ubi uno ore utrumq.
facimus, sorbemus et flamus: quam utile in mensa, ubi
utrumq. dens, Ceres et Bacchus gulae ministrant. Quam rursum
inutile accumbentibus utrinq. est, gravari multum & per-
gravarj; quam exitiale in aliena republica viventibus utrumq.
hoc, multa loqui, & res novas moliri. Illud subtilissimum,
in quo desinam, quod aenigmatis sibi loco esse possit: Dixit
aliquando Philippus Macedonum rex, ὁ μὲν ἑκάτερος ἀμφότερος,
ὁ δὲ ἀμφότερος οὐδέτερος. Vterq. est ambo, et neuterq. est
neuter. Erasmus in Chiliadibus ita interpretatur: E duobus
= fratribus, quorum alteri nomen erat ἑκάτερος, alteri ἀμφότερος,
= ille bonae frugis erat, hic nequam. Hos quum Philippus
= vidisset, hoc in eos iocatus esse fertur. Quadrabit in
= duos aliquos, quorum alterius nequitiam, alterius probitas compensat.
Verum salvo tanti viri iudicio, non quadrant haec, neq.
respondent acumini Graeco. Ego sic conycio: fratrem
nomine ἑκάτερον fuisse Philippo et Graecis, ideoq. cum
utraq. parte colludentem fuisse vere ἀμφότερον: fratrem
vero, nomine ἀμφότερον fuisse neutri, ideoq. acuta
contradictione a Philippo vocatum ~~et~~ οὐδέτερον.
Vale Hugeni clarissime,
Consentire meis studijs si crediderim Te
Fautor utroq. tuum laudabo pollice ludum.

Amstelod. XXVIII May CIↃIↃCXXXIV.

Amplissimum D. Hooftium pro occasione mea
verbis saluta. D. Scottus et ab Aspren fratres hic sunt.

© Staatsbibliothek zu Berlin
Slg. Darmstaedter 2f 1620
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0323